

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

rum, morsus & terrores conscientia sevisimos, indignationem & fremitum adversus DEUM perpetuum: & vermem mordentem §. XXII. ajunt esse symbolum horribilium poenarum & dolorum, seu morsuum mala conscientia, implacabilis odij, item indignationis, murmuris & fremitus adversus DEUM, ortorum à fulmine sententiae judicis damnatoriae tristissimo, quibuscum conjuncta sit futura suiipsius detestatio & execratio & votum τὸ ἀνοργήσιον seu subite redactionis in nihilum, aut oppressionis collium & montium, sed irritum & inane. In eundem modum stridorem dentium interpretatur Frider. Balduinus, Academ. Witteb. quondam Prof. cum in Comment. in II. Theff. I. 8. 9. Qu. V. ita scribit: Tertia infernalis poena est stridor dentium, quem Hieronymus in caput XX. Ijobi de rigore frigoris intelligit, quia forte in ipsa gehennâ talis sensuum cruciatus fiet his, qui in eâ torquebuntur, ait, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, & poenalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calorem faciet, sic, ut de loco in locum transire videantur. Rectius autem fortè censendum est, stridorem istum oriturum partim ex iracundia rabie, quâ fremunt adversus DEUM, ejusque sanctos; partim ex seriâ contritione delictorum, quae eos illuc conjecerunt, partim etiam ob memoriam bonorum amissorum, ut placet Dominico à Soto in Dist. L. Q. un. Art. IV.

XXVI. Hugo Sanfordus, Coomflorius Anglus, Anno Domini M DC. diffusum pariter atque eruditum tractatum scribere exorsus est de Descensu Domini nostri JESU Christi ad inferos, quem morte præventus, non absolvit, complevit tamen ex scriniis ejus & edidit Robertus Parkerus. Is omnium prolixissimè contra sententiam, damnatos peccare ajentem, disputat, suamque lib. III. §. 96. p. 174. ita exponit: Argumentum adversariorum sextum ita instituitur: poena infernalis cum peccato conjuncta est, cum desperatione, cum blasphemiâ, cum peccati omnimoda plenitudine. Ergo Christus eam non pertulit. At recepta sapientum opinio est, in inferno non peccari, quæ & certissimâ ratione nititur. Productis deinde in medium argumentis; Quid igitur? inquit. Peccatum in inferno statuere non possumus, nisi illam de poenarum mitigatione anilem stultitiam revocemus, de quâ Augustinus. Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc iis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest, in iis manere ira DEI, hoc est ipsa damnatio.